



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Joannes Columbinus C. 31. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. JOANNES COLUMBINUS C.

31. Iulii.

O Si Lector iis oculis vitam JOANNES legeres, quibus ille Divorum legit! Et leges puto iisdem, si leges. Succensuit hic uxori canam seriùs apparanti. Illa, ut matrona erat præ aliis pia, jubet, dum famem rectiùs opsonet, oculos pascete legendis Divorum factis. Non erat hoc pro stomacho JOANNES: abjicit librum. Mox tamen curiositate ductus tollit, legitque in quam primò oculis offendit Mariæ Ægyptiacæ vitam. Hic verò aliã jam fame stimularia nimus, & nauseare omnia terrena, jam templa & preces amare, benè egenis facere, asseri incubare, castitatem cum conjunge colere, ædes in publicum peregrionorum stabulum vertere, denique ille nuper in pietate discipulus vel magistram conjugem superare. Et fort leprã horridum homuncionem domum portaverat, cujus nec aspectum conjunx ferre poterat. At JOANNES osculis etiam dignatus balneo recreatum in uxoris thalamo deposuìte, idemque, dum à sacris rediret, enixè commendavit. Interea dum hæc cubiculum petit, omnes odorum delicias obvias habet. Supervenit JOANNES cum bellariis, sed præter vestigia, nobiles, quos diximus, odores nihil reperit.

Christus

480 VITÆ SANCTORUM. I. *Ang.*
Christus fuerat. JOANNES rebus om-
nibus abjectis pauperem etiam ipse in-
duit, Societatemque condidit, quam
Urbanus V. Pont. probavit, patrocínio
infantum inductus, qui matres suas, ut
Iesuatis (ita is Ordo appellatur) benefa-
cerent, monuerunt, tam magni orato-
res quàm parvi fuerunt. *Ex Ferrar.*

*Habeamus hospitalitatis curam, non ut
momentaneam solam retributionem accipia-
mus; sed ut reponamus nobis immortalium
bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus,
suscipiemus & nos Christum, & suscipiet
etiam ipse nos in mansionibus, quas prepara-
vit diligentibus se. S. Chryl. in Gen.*

SS. FIDES, SPES, CHARITAS. VV.
MM. I. *Augusti.*

Felix Roma, cui, quas nullus unquam
pingere satis belle pictor potuit, vi-
vas spectare virtutes licuit, FIDEM in-
quam, SPES & CHARITATEM *Sophia* fi-
lias, Charitum Christianarum ipsissimam
trigam. Ex his maxima XII. altera X. na-
tu minima IX. omnes paucos annos, sed
plurimas palmas numerant. Ecce enim
virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet,
sed matre duce & junctis copiis omnes
vincunt. Igitur duello singulas aggredi
Urbi Præfectus statuit, & primò quidem
FIDEM. Contra hanc flagris pugnat: at ter-
gum pro scuto objicit FIDES. Sarraginem
ad-